

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostrativum speculum

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

4. Macchiavellvs

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

rem te vellem, quod tutius foret, & magis ingenuum. *A.* Id quidem cuius promptum foret, necliterarum & sumptuum indigum. *B.* Sanè id conveniebat, ut tot sumptibus ad salutem animarum procurandam habilior redderis, vel fateris eandem nobiscum in rebus sacris ignorantiam. *A.* Tunc præclaras sophismatum solutiones, & doctorum laudabilem imitationem appellabis sumptuosam ignorantiam? *B.* Vix dixerim; nisi quod mirum valde est, vos verbis omnes velle refutare, operibus allicere neminem; dein sacra omnia ex præscripto recitare, cum Deo, cuius nomine profertis, nihil habere commercii.

4. MACCHIAVELLVS.

Q Vid focum instruis? *B.* Sic iubet pietas. *A.* Pietas ignea? *B.* Perdendus est homo pestilens. *A.* Quibus ille, an Aristoteles? *B.* Et hæc vox comburenda foret. *A.* Fac ut lubet, tu vero reum mihi monstra. *B.* Florentinus ille nebulo est. *A.* Vah! Macchiavellus, homo miser & planissimè fatuus. *B.* Atqui hic versutissimorum omnium ingeniorum pater est, quem utinam terra nūquam tulisset, aut orcus suscepisset recentissimè natum. *A.* Itane intolerabilia sunt quæ scripsit ineptus? *B.* Vt quæ maxime; sed ineptum cur vocas? *A.* Quia quascunque animadvertit rerum publicarum noxias maximas, & arcana imperiorum, ausus est propalare, magna certe sua infamia & odio. *B.* Quid? nonne ille nequitiarum autor & consultor est? *A.* Nequa-

A 7 quam:

quam: sed proditor, atque nimium ingenuus, qui non erubuit dicere, quod alii non cogitant tantum, sed credunt firmiter, & tota vita usurpant. *B.* Cur ergo cuncti detestantur hominem? *A.* Merito. nam qui dominantur dolent artes suas detectas; qui consiliarii sunt, succensent conscientiam tactam; qui serviunt, primum stolidè infremunt, quasi ex Machiavelli cerebro enata sint hæc mala, dein hac miseriarum suarum luce excruciantur. *B.* Qui certus ero de Machiavelli innocentia? *A.* Si in præsens, & prætergressa secula curiose inquiras. Nam videbis permultos qui iuri præsent, iniustissimos: qui religioni, maxime impios; qui eruditioni, imperitissimos; qui laboribus, otiosissimos; qui humanitati, monstruosissimos. *B.* Id ego ex Machiavello didicisse credidi. *A.* Imò a Mundo, cuius ille sagacissimus observator, & simplicissimus recitator fuit. *B.* Saltem pereat, qui tot mala ei insunt. *A.* Quod si id velis non ligna tibi, non focus suffecerint; tu vero rem Deo committe, cui universa Mundi malitia cognita est, ut eam eludat sapientissime. *B.* Vivetne Machiavellus? *A.* Vivet; si nullo alio nomine, certe: quia humanæ nequitiae apertissimus testis.

5. APOSTASIA.

A. S Empèrne lugebis? *B.* Nec unquam fatis. *A.* Speremus meliora, nec enim Deo eripientur sui. *B.* At de posteritate quid fiet? *A.* Idè quod de nobis, antequam Maiores nostri agnoverunt lucem. *B.* Nescio quam videntur mihi